

strumentū Logicum, item notionem secundā. Hic enim est ordo. Quid est argumentū? Terminus. Quid terminus? Est instrumentū Logicum. Quid est instrumentū Logicum? Est notio secunda. Hic ὡς ἐν παρόδῳ ridere liceat nonneminē ineptum Logicū, qui contendit, vocem hanc *terminus* in Logicis non esse ferendam; eò quòd horrida sit metaphora. Huic bello disputatori à nobis factū est satis suprā *lib. I. c. 3.* ab initio. Sequitur differentia in hāc definitione his verbis: *dirigens materiam ex quā disferendum est.* Duobus modis definiri potest argumentum, ut etiam thema. Nam utrumq; refertur vel ad materiam, quam dirigere debet inter disferendum, vel ad suum relativē oppositū. Illo modo thema definitur, quòd sit terminus dirigens materiā *de* quā disferendum est; & argumentum, quòd sit terminus dirigens materiam, *ex* quā disferendū est. Hoc modo thema finietur, quod ab argumento arguitur; argumentū, quod arguit suum thema. Priores definitiones tanquam usui accōmodatiores retinemus. Sic enim primo intuitu patet, quem nobis usum præstet utrumq; hoc instrumentum. e. g. Vis disferere de homine, necessum est habeas materiam de quā, & eam probè examines. Hæc est ipse homo, thema tuū. Jam videas oportet ex quā materiā velis hoc thema tractare. Hanc materiam dirigunt argumenta Logica. Προσθήκης ἐνεργε in propositā argumenti definitione excutiamus consuetarium de Synonymo argumenti. Id vulgo est locus inventionis. Sed hoc fit *κατάχρηστικῶς.* Propriè enim locus invētionis est, è quo depromitur argumentum; & argumentum est id, quod depromitur è tali loco. Sic enim Cicero: *Ut earum rerum, ait, quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco facilis est inventio: sic cum per vestigare argumentū aliquod volumus, locos nosse debemus.* Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem. Si nolis admittere hanc *κατάχρησιν,* sic dices, unum idemque ens Logicum considerari posse ut argumentum, & locum inventionis. v. g. causa in Logicis dici potest argumentum, quatenus arguit thema ad disferendum propositum, tanquā causatum. Eadem dici potest locus inventionis, quatenus sub se comprehendit circulum, ut ita dicam totius causalitatis, hoc est, quatenus sub se comprehendit omnes res, quæ suscipere possunt rationē causæ. Idem de reliquis argumentis judi-

tis judi-